

Et protinus de tumultu quasi vox redivivae matris auribus eius intonuit dicens: „Deo gratias, fili carissime, optime valeo.“ Et rursum: „Benedictus dominus deus, cuius dono mihi concessum est, talem filium parere et alere.“ Ad cuius tam mirae vocis alloquium totus in laetitia absorptus est et beatitudini ac gloriae eius congaudens omnipotenti deo cum intima devotione gratias reddidit. O vere felix mulier, o felicior mater, quae filii sui meritis possidebat et pandebat gaudia regni caelestis.

Cap. 16 [De visione, quam vidit a morte Gotfridi de Merenberg monachi]

Cum fidelis domini servus Gotfridus de Merenbergh⁸ monachus in Hegene plenus dierum et virtutum transiturus esset de hoc mundo ad patrem, tactus aegritudine ipsiusque aegritudinis ingravescente molestia ad extrema perductus est. Hic itaque, cum iam ad horam ultimam devenisset, convenerunt fratres ad eius exitum sacris orationibus muniendum. Cantantibus autem quibusdam circa ipsum letaniam et psalmos ac commendationis officium devote peragentibus Conradus servus Christi tunc temporis licet corpore infirmus etiam aderat et corde ac spiritu alacritate, qua poterat, et ipse psallebat. Interea turba daemonum glomeratim per ostium irruit et quasi se invicem a multitudine introeuntium comprimens totam domum implevit. Quos ut vidit homo iste angelicus huc atque illuc gyrovago cursu gesticulantes, totus in lamentum resolvitur. Nec mora et ecce Maria mater domini Iesu tamquam stella matutina et splendor meridianus totam domum claritate perstrinxit cum magna turba candidatorum adveniens. A cuius fulgore daemones maximo terrore perterriti quasi divina sententia perniciosissimo cursu omnes fugerunt. Et nullam moram in fugiendo passi alii alios per fenestras extruserunt. Quod cum iterum beatus Conradus vidit, dulciter subrisit et priorem luctum in risum commutavit. Sicque illa sancta anima carne soluta est et de convalle plorationis in conductu beatae Mariae virginis ad candidatos cives caelestis Ierusalem feliciter, ut credimus, transmigravit. Postea fratribus sciscitantibus a beato Conrado, cuius rei causa in fletum et risum motus fuisset, ipsis hoc visum spectaculum seriatim enarravit.

8) *Gottfried von Merenberg (nordwestlich von Weilburg), 1233/36-1243/46 Abt des Zisterzienserklosters Hardehausen (nordwestlich von Warburg), 1246-1265 als Mönch in Haina bezeugt. Vgl. Westfälisches Klosterbuch 1, hg. von Karl HENGST (Veröffentlichungen der Historischen Kommission für Westfalen 44, 1992) S. 394; UB Haina 1 (wie S. 20 Anm. 20) Nrr. 137, 159, 450.*